

*Revelavit Filium suum in me,
ut evangelizarem illum in gentibus.*

Léctio Epístolæ beāti Pauli apóstoli ad Gálatas 1, 11-19

- ¹¹ **N**otum vobis fácio, fratres,
evangélium, quod evangelizátum est a me,
quia non est secúndum hóminem;
¹² neque enim ego ab hómine accépi illud, neque dídici,
sed per revelatiónem Iesu Christi.
¹³ Audístis enim
conversatiónem meam aliquándo in Iudaísmo
quóniam supra modum persecuébar ecclésiám Dei
et expugnábam illam
¹⁴ et proficiébam in Iudaísmo
supra multos coætáneos in génere meo,
abundántius æmulátor exsístens
paternárum meárum traditiónum.
¹⁵ Cum autem plácuít Deo,
qui me segregávit de útero matris meæ
et vocávit per grátiam suam,
¹⁶ ut reveláret Fílium suum in me,
ut evangelizárem illum in géntibus,
contínuo non cóntuli cum carne et sáanguine,
¹⁷ neque ascéndi Hierosólymam
ad antecessóres meos apóstolos,
sed ábii in Arábiam
et íterum revérsus sum Damáscum.
¹⁸ Deínde post annos tres
ascéndi Hierosólymam vidére Cephám
et mansi apud eum diébus quíndecim;
¹⁹ álium autem apostolórum non vidi
nisi Iacóbum fratrem Dómini.

Verbum Dómini.